



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinae Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.11. Qualia opera pœnitentiæ exercenda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

22 *Cap. I. Quae opera sint, tempore belli.*

bonorum operum exempla præbere non erubescat. Hoc jam dudum tam prolixis belli malis Deus à nobis quærit obtinere, vt Ecclesia pristinum nitorem adipiscatur, & vnusquisque in Domino renouetur. Parum enim refert, vtrum Deus beneficijs ac miraculis, an plagis nos ad pœnitentiam vocet. Quare post triginta annorum bella Germaniam affligentia appositè ad nos dicere potest Christus: *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quae facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Matth. 11.

Luc. 10.

XI.
QUALIA
OPERA
POENI-
TENTIAE
EXERCEN-
DA?

At quænam pœnitentiæ opera sequenda? Feminis & paruulis non permitteretur, si publicè sese vellent verberare: zelus ingens Italos exculauit. Viri & iuuenes hoc exemplum in templis & plateis abundè exhibuerunt. Interim domi ac priuatim neq; paruulis prohibitum, neque mulieribus est interdictum, vt corpus suum loris, virgis, flagellis, cingulis castigent: vt D. Magdalenam, D. Martham fecisse credibile est; certum autem de S. Catharina Senensi, de S. Teresia, & de multis alijs Sanctis. Si Publicanus ille, qui *percutiebat pectus suam* dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori. descendit iustificatus in domum suam,* cur non & ille

Luc. 18.

13.

& illi, qui percutiunt dorsum suum, quod Deo creatori suo obuenterunt? Si hoc non omnes possunt, vel ob imbecillitatem corporis, vel ob defectum occasionis, vel alias ob causas facere, at possunt peregrinari ad B. Virginem, vt Itali fecerunt; ad Saluatorem proximum, vel remotum, ad S. Oswaldum, ad D. D. Exules Oettinganos, aliaque loca pia. Quòd si etiam, iam hoc tempore, istud est periculosum, ob milites, at tamen sunt in vrbe templa, sunt processiones, sunt stationes; in quibus fas est exercere pietatem. Peregrini & hospites non sinant filios suos in plateis vagari, sed eos ad catechismum, ad preces, ad Missam secum adducant. Neque se, ob ætatem illorum, putent excusatos. Si nondum possunt peccare, tamen possunt Deum placare ipsa sua innocentia, vt in Italis, & olim in Niniuitis apparuit. Certè, more Italorum, D. Virginem Dei Matrem rogare, vt Filium nobis propitium efficiat, nemini non est in promptu. Sed in eo maximè imitandi sunt Itali, vt, *veteribus odijs* positis, pacem inuicem sanciamus. Cur enim nobis Deus pacem donaret, si nos ipsi inuicem bellare pergimus? Ante omnia tamen, hoc

exemplo Italorum, nobis est faciendum, ut peccatorum confessiones, vix suppetentibus ad audiendum sacerdotibus, celebremus. In quibus omnibus, si narratum exemplum imitemur, spes erit etiam illius diuinationis, quam ab Ottone Cardinali editam audiui-
mus: **VICTI VICTORES VINCENT.** Nam si Niniue tam impia ciuitas, post ieiunia, post cilicia, post squallorem cinerum, post gemitus, & suspiria ac poenitentiam, à diuina bonitate misericordiam est consecuta; cur nos non idem faciamus, ut idem consequamur? Et quidem illi, qui aliàs honore præcedunt, periculaq; meliùs intelligunt, merito etiam præcedent exemplo poenitentia, atque hoc sacro tempore, sæpius peccata sua expiabunt: sicut in Italia ipsi Episcopi, & magistratus ceteris præcesserunt. Illi autem, quos necessitas coëgit huc confugere, atque iumenta sua in tutum transfere, utiq; animæ suæ potiorem habebunt rationem, quàm bestiarum suarum; cum hac ipsa animæ suæ cura mereri possint, ut pecora sua, & ædes ac villæ saluæ conseruentur. Sine dubio Deus Italis tam atrocem immisit tempestatem, ut ad poenitentiam confugerent, citiùs liberandi, si citiùs resipuissent. Ita

& vos Deus huc adduxit, vt occasione, & loco, & sacerdotum copia vtamini. Non eritis excusati, si adhuc sine poenitentia permanetis. Nec miremini, si pecora vestra cadant, si domus spolientur, aliaque vobis damna accidant, numquam ad caelum, atque ad Deum vestram mentem erigentibus; neque ad confessionem recurrentibus, adeò otiosis. Domi labores subinde vos excusant. Hic nulli sunt labores, nulla excusatio. Nec dubito, plurimos ad confessionem, atque SS. Eucharistiam quotidie aduolaturos; cogitabunt enim: si de hoc agitur, si hoc tantum à me petitur, facile est semel confiteri. Sufficiet hoc quidem apud aliquos, apud multos tamen non sufficit. Quia poenitere multa requirit. Multis necesse est sepius confiteri, vt discant confiteri, & hoc à Confessarijs doceri petant. Multis necesse est saepe confiteri, vt discant vitia consueta, blasphemias, detractiones, iuramenta, turpiloquia deponere, &c. multis necesse est, saepe confiteri, vt satisfaciant pro peccatis, nam inter saluberrimas poenitentias est, si iniungatur, vt confessio saepe repetatur. Deniq; nonnè stultissimus est is ægrotus, qui morbum ferre non

26 *Cap. I. Qua opera sunt, tempore belli. &c.*

potest æquo animo, & tamen illa medicina non utitur, qua scit alios esse sanatos? Audistis de Italorum, immò & de Niniuitarum pœnitentia, & sanitate; agrotatis, malè habetis, hostem, exterminium timeris; si pœnitentia tamquam medicina non utimini, insanitis; & meremini, quod Eremita Italis prædixit, nisi pœnituissent, euenturum. Non dicuntur hæc ad terrorem vobis iniiciendum, non ad desperationem faciendam, sed ut spem concipiatis pacis breui secururæ, si pœnitentia, si emendatio vestra præcedat. Nam, teste Cypriano, *Qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis, & fidei, de ipso lapsus sui dolore conceperit exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, letam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam; quia & victoriam, ut etiam huc*

quadret: **VICTI VICTORES
VINCENT.**



CAPVT

S. Cypr.
lib. de
lapsis.